

III, 57.

257.



III, si.

5

Εὐν θέν

**PANEGYRICUS FUNEBRIS**  
Æternæ & Immortali Honori  
**SERENISSIMI CELSISSIMIQUE**  
PRINCIPIS AC DOMINI,  
**DOMINI JOHANNIS,**  
PRINCIPIS ANHALTINI, CO-  
MITIS ASCANIÆ, DOMINI SER-  
VESTÆ & BERNBURGI, JEVERÆ & KNIP-  
HAUSEN &c.


**CONSECRATUS**

ET  
**MANDATO ILLUSTRISSIMÆ VIDUÆ,**  
Constitutæ ILLUSTRISSIMÆ SUÆ PUBIS TUTRICIS ac REGENTIS, in  
Illustri Illustrissimorum ANHALTINATUS PRINCIPUM Gymnasio,  
quod Servestæ est, devotissimè ac subjectissimè, Die 11. Octobris  
Anni 1667. recitatus.

A  
**LÜDERO Kannengiesser /**  
Dicti Gymnasii Rectore ac Professore  
Publico.

---

**SERVESTÆ,**  
Typis JOACHIMI Palmen /  
1668.



VOBIS,

ILLUSTRISSIMI ET CELSISSIMI  
PRINCIPES AC DOMINI,

DN. CAROLE VVILHELME,  
DN. ANTHONI GUNTHERE,  
DN. JOHANNES ADOLPHE,  
DN. JOHANNES LUDOVICE,  
PRINCIPES ANHALTINI, COMITES  
ASCANIÆ, DOMINI SERVESTÆ ac BERNBURGI,  
JEVERÆ & KNIEPHAUSEN &c.  
PRINCIPES ET DOMINI MEI  
CLEMENTISSIMI.

OB ABITUM ET <sup>Qui</sup> OBITUM PARENTIS  
PIENTISSIMI ET SANCTISSIMI,  
Mœstissimos & afflictissimos geritis animos, & benignissimi Orationis hu-  
jus AUDITORES fuistis, in humillimæ Subjectionis signum Pane-  
gyricum hunc humillimè inscribo ac  
offero

Illustrissimis ac Celsissimis Nominibus  
Vestris  
devotissimus

LÜDERUS Kannengiesser.



Σὺν Θεῷ

## PANEGYRICUS FUNEBRIS.



IX ultra biennium est, SERENISSIMI PRINCIPES ANHALTINI JUNIORES, Domini mei Clementissimi, MAGNIFICI, NOBILISSIMI, AMPLISSIMI, CONSULTISSIMI, plurimum REVERENDE, EXPERIENTISSIME, REVERENDI, CLARISSIMI, DOCTISSIMI, HUMANISSIMI, omnium ordinum AUDITORES SPECTATISSIMI, Vosq; STUDIOSI nostri ORNATISSIMI atq; LECTISSIMI, tuq; tandem JUVENTUS optimis studiis Consecrata, Vix, inquam, ultra biennium est, quòd Anhaltinatu huic vulnus inflictum sat triste, sat molestum, ex abitu & obitu illustris hujus principatus COTHONIENSIS districtus PRIMIPILI, cujus sacratissimam ex hac ipsa superiori hujus Athenæi cathedra memoriam dolorosâ prorsus & voce & mente celebravimus. Placatum hoc vulnere iratum Numen censebamus miseri exoratumque gemitibus inclitæ Patriæ, quibus sollicitabat ipsum pro salute & incolumitate Principum nostrorum superstitum, PATRIÆ PATRUM, Dominorum nostrorum Clementissimorum, Deorum terrestrium, tutelarium, absque quibus nil nisi miseras sentirent subditi. Aspera siquidem subditorum conditio est, ad illas si redigantur incitas, ut Principis sui morte meras sentiscant ærumnas, navigantium instar in mari procelloso, qui provido nauclero destituti & antrorsum & retrorsum, & dextrorsum & sinistrorsum fluctus timere habent, deglutire qui minantur omnes, quos tremula & pertinaces maris impetus pulsusque excipiens navis habet. Placatum, dico, hoc vulnere iratum Numen censebamus. Sed, O nos miseri! Frustranea opinione censebamus, & quod procul à manibus nostris abesse judicabamus malum, id manibus quam proximè imminebat Quid manibus? Et nos quoque adibant tristissima funera. Ipsimet Aulæ huic omni nitore interdicebant vestemque lugubrem injiciebant, proh dolor! non ob discessum ejus, qui ex minoribus erat Aulæ gentibus, non ob obitum Principis tantum propinqui, aut qui affinitate vel consanguinitate Aulam hanc illustrem Servestanam attingeret, sed ob ipsam hujus districtus Coronam, ob ipsum hujus Provinciæ summum caput, ob ipsum hujus PATRIÆ PATREM, ob ipsum hujus orbis & urbis incolarumque delictum, & quid multis? Ob Ipsum Serenissimum nostrum Celsissimumque Principem ac DOMINUM, DOMINUM JOHANNEM, PRINCIPEM ANHALTINUM, COMITEM ASCANIÆ, DOMINUM SERVESTÆ ac BERNBURGI, in JEVER ac Rniephausen/ Dominum nostrum, eheu! quondam Clementissimum, ac Gymnasii hujus Illustris Nutritium territorialem benignissimum. Hujus optimi provinciæ Capitis, Patriæ Patris, orbis & urbis incolarumque delicti ex hoc mundi theatro abitus totam prostravit Aulam Aulæque comites & indigenas, summos ac imos, totam prostravit Urbem, totum in lachrymas egit Subditorum agmen, & quis non in planctum sese acerbumque luctum diffunderet ob tanti Principis dis-

cessum, qui & aulæ, & urbi & toti regioni miserabilem, vah quàm tristi omni-  
 ne ! præfagit catastrophem ? Sed quid querimus ? quid prolixa querimo-  
 niarum feris coelum fatigamus ? Ab irato hæc omnia nobis eveniunt Nu-  
 mine. Hoc placare nos decebat, sed irritavimus, irritavit quisque ex sum-  
 mis, mediis, imis, nec quisquam nostrum est, qui non ad tantam malorum  
 congeriem suam, pro pudor ! commodavit operam. Peccare didici-  
 mus, cum à peccandi consue tudine nos retrahere nos decebet. O væ no-  
 bis, qui malis immergi malum nostrum non novimus, qui acerbissima pec-  
 catorum stipendia accipimus, nec peccare desistimus. Quid tandem no-  
 biscum fiet, cum enormitatum nostrarum farragine integræ & Principes  
 nostros optimos nobis eripiunt ? Is sane & insanum & impium inter ho-  
 mines gestat sinciput, cui vel dubitare tantum hac de re unquam placue-  
 rit. Sed ad beatissimum nostrum redimus PRINCIPEM, patriæque  
 Patrem, quem frustra planctus nostri revocare in hæc terras, miseria-  
 rum valles, intendunt, meliori is sede locatus jam est: eò etenim vocarunt  
 ipsum Virtutes, quibus elucebat, imò quibus prælucebat suis, quorum ta-  
 men major pars non ingenui satis & haud fucati extiterunt existuntque  
 æmuli. Sic dignior habitus PRINCIPIS NOSTER optimus, qui jam de-  
 mum veram vitam veramque adipisceretur immortalitatem, quando  
 beatissima ejus anima ex hoc corporis ergastulo eluctata, cælo & sempiter-  
 næ gloriæ est restituta, novumque sidus altissimo illi ac excelsissimo be-  
 atissimarum mentium ordini est adjuncta. Recollegit itaque & compo-  
 suit animum suum, adorans secreta divinæ providentiæ consilia, ad quæ  
 caligat ac obstupescit humani ingenii acies. Et postquam sic factorum  
 statuit asperitas, vel satiùs, postquam ita supremo placuit Numini, nec da-  
 tur prolixio, ejusdem augustâ ac clementissimâ frui præsentia, quid decen-  
 tius à nobis agi hac vice poterit, quo subjectionis humillimæque devoti-  
 onis genere nostros possumus exhibere complanctus, quam si immorta-  
 lem nominis OPTIMI NOSTRI PRINCIPIS honorem publico hoc eloqui mo-  
 numento, ad gratam posterorum recordationem trans mittamus, atque  
 hoc in Illustrissimo, atque augusto, nec non nobilissimo confessu, optimi  
 Principis speculum in hoc ipso PRINCIPLE NOSTRO exhibeamus, sicq; vitam  
 ejus sanctissimam, merita præclarissima, mortem denique piissimam e-  
 nunciemus. Quanquam verò adeò suspiciendum atque arduum hocce  
 munus esse ego non negem; Quanquam vel expectationi cuiuscunque  
 vel meritis & gloriæ tam INCOMPARABILIS PRINCIPIS, paria me facere & di-  
 cere non posse, palam & ingenuè confitear, mandato nihilominus IL-  
 LUSTRISSIMÆ PRINCIPIS viduæ, illustrissimæ suæ prolis TUTRI-  
 CIS amantissimæ, Dominae meæ clementissimæ, cui non parere flagitium  
 esset, commotus, & excitatus, vestraque consueta, Auditores omnium or-  
 dinum. Observandissimi, Spectatissimi, clementiâ, gratiâ & humanita-  
 te erectus, memoriam beatissimi hujus PRINCIPIS, si non adeò dignâ, cer-  
 tè religiosissimâ & ingenuâ parentatione celebrare conabor. Adeste igitur,  
 Auditores optimi, & hæc ultima PATRIÆ PATRI desideratissimo non  
 invidete, sed potiùs largissimis & animis & manibus concedite.

Atque ut absque ulteriori verborum ambage. Panegyrici hujus, pi-  
 issimis Celsissimi Principis Anhaltini JOHANNIS, manibus dicati,  
 auspiciis sumam, à domo ejusdem paternâ Anhaltina, si id sumfero,  
 non admodum peccavero. Certè in hac domo id totum resplendit,  
 quicquid prisca secula virtutis, sive arte, sive Marte partum jactare potu-  
 erant,

erant, in qua ea videri possunt lumina, ut universo Orbi illustrando sufficere valeant. Hæc quippe celebratissima Domus ultra mille trecentos quadraginta annos, sub nomine Dominorum Herciniæ, Comitumque Ascaniæ, & ab quadringentis ac octuaginta annis, sub Principum Anhaltinorum titulo, ad hæc usque tempora floruit, aliosque ex aliis, non solum Principes, sed etiam Romani Imperii Flectores Brandenburgicos & Saxonicos, Regibus æquiparandos ultra ducentorum annorum spatium, continuâ serie propagavit. Ut autem paulò remotiores, beatissimi nostri PATRIÆ PATRIS, PRINCIPIS nostri Celsissimi, majores paternos ob temporis angustiam, devoto silentio venerer, videlicet illos BENTHOBALDOS, qui circa annum à nato Servatore & Redemptore nostro quingentesimum vigesimum quartum vixerunt, BERINGEROS, ARIBERTOS, RADBODOS, WITELLONES, ARIBONES, BERINGEROS; illius celebratissimi per Orbem Regis & Herois WITEKINDI Saxonis affines, BERINGEROS item, quos Anno Christi sospitatoris nostri benignissimi 786. invictissimus ille multarumq; gentium domitor CAROLUS MAGNUS ex sacro Baptismatis fonte suscepit, ALBERTOS PRIMOS, POPONES, LUDOVICI Pii, Galliæ Regis generos, ALBERTOS SECUNDOS, OTTONES SECUNDOS, ALBERTOS TERTIOS, SIGFRIDOS, ALBERTOS QUARTOS, WOLDEMARIOS SENIORES, SIGISMUNDOS PRIMOS, ERNESTOS PRIMOS, ESICOS QUINTOS, OTTONES DIVITES & MAGNOS. Ut, inquam, hosce omnes & singulos Heroes, Dominos Herciniæ, Comites Ascaniæ, Ballenstetti, Marchiones Salisquellenses, Principes, cum inter vivos agerent, à virtutibus heroicis præcellentissimos, taciturnitate devotâ honorem. Vixit in hac vetustissima, præclarissimeq; de Romano Imperio aliisque regnis merita domo; ALBERTUS URSUS, pulcher cognomento, Comes Ascaniæ & Ballensteti, Dominus Bernburgi, Marchio Salisquellensis, & quod majus est, ELECTOR BRANDENBURGIGUS. Hujus certè immortale nomen, gloriosissimaque bello & pace designata facinora, in Marchia Brandenburgica, in superiori & inferiori Saxonia, in Westphalia, Frisia, in toto Romano Imperio, ac in ipsa Italia, ad hanc horam ita fulget, ut nullam alienæ laudis lucem requirat. In hac vixit ejus filius BERNHARDUS, Princeps Anhaltinus Comes Ascaniæ, Ballensteti, Marchio Salisquellensis, ac post, DUX SAXONIÆ, Angriæ, Westphaliæ, Romaniq; Imperii Elector. Hic ob præclarissima belli ac pacis opera, insignia trabum auratarū & nigrarum, fertique rutacei, quibus hodie duces Saxoniæ utuntur, primus, ex Friderici primi, Imperatoris, donatione, usurpavit. Vixit HENRICUS PRIMUS, Dominus Herciniæ, Princeps in Anhalt, à Friderico primo Imperatore Romano inauguratus, Comes Ascaniæ, Ballensteti &c. Hic cum Alberto Archiepiscopo Magdeburgensi, Comiteq; Kibergensi, bella strenuè gessit. Hic Gerundum, Abbatem Munckenbergensem, propter nefandam, quam cum Abbatissa Quedlenburgica patrabat libidinem, oculis & linguâ multatum carceri mancipavit, neque citius eundem dimisit, donec Honorius Pontifex veniam hujus facti ipsi indulisset. Vixit SIGFRIDUS, Princeps Anhaltinus, Comes Ascaniæ. Hic cum ingentem virtutibus suis gloriam promeruisset, relicto sponte principatu, cœnobium ordinis Prædicatorum (quod illo tempore pro luculento specimine pietatis habebatur) ingressus vitam sanctissimam in eodem traduxit, cum simul ipfi-

us conjux, in cœnobio Cosvicensi vitam quoque monasticam professam fuisset. Vixit ALBERTUS SENIOR, Princeps Anhaltinus, Comes Ascaniæ, Familiæ illustrator, Patriæ splendor, Civium columen, domi forisq; favorabilis Princeps. Vixit ALBERTVS JUNIOR, Princeps Anhaltinus & Comes Ascaniæ. Hic & togæ & armorum tempore subditorum salutem generoso ac paterno pectore tuebatur. Vixit JOHANNES PRIMUS, Pr. Anh. Comes Ascaniæ, Princeps sane mitissimus maximarumque virtutum; at in hoc uno in felicissimus, quod Vxorem malam, rixosam ac intolerabilem adeptus fuerit, & quia Xantippen suam diutius tolerare non potuit, voluntarium sibi exilium elegerit. Vixit SIGISMUNDVS, Princeps Anhaltinus, Comes Ascaniæ. Hic contra Magdeburgenses arma moverat, in hujus consilio & auxilio Respublica tutissimè ac placidissimè quiescebat. Vixit GEORGIUS SENIOR Princeps Anhaltinus, Comes Ascaniæ, Dynasta Servedæ & Bernburgi, Princeps vitæ sua honestissimâ supremam laudem consecutus. Vixit ERNESTVS Princeps Anhaltinus &c. princeps pientissimus. Hic in DEI altissimi gloriam, Dessaviæ templum parochiale construere, Anno Christi Servatoris nostri millesimo quingentesimo sexto, incæpit, primusq; lapidem die vigesimo quinto mensis Maji ejusdem anni in suam famam sempiternam ibidem reposuit. Vixit JOHANNES SECUNDUS, Princeps Anhaltinus, Comes Ascaniæ, Dominus Servedæ & Bernburgi. Hic cum reliquis fratribus Illustrissimis, GEORGIO scilicet, famâ tum eruditionis tum etiam Religionis super ipsa etiam æthera notissimo, & cum JOACHIMO, Verbi divini cultore ardentissimo literatorumq; ad stuporem amantissimo, summam & indissolubilem coluit concordiam. Hic non solum erga pauperes, sed etiam erga subditos suos, raro equidem exemplo, munificentissimus fuit, eisdemq; ad ædium structuram ligna libentissimè concessit, voce hac Principe tanto digna utens: malo, ut homines mihi cohabitent, quam bestia sub arboribus in sylvis delitescant. Vixit JOACHIMUS ERNESTUS, Princeps Anhaltinus, Comes Ascaniæ, Dominus Servedæ & Berenburgi, cujus Virtutum splendor immortalium in toto Romano Imperio eluxit. Præterquam enim quod Arcis Dessaviensis, sedis Principe dignæ quàm sapientissimus extractor fuerit, bone DEUS! quantum Anhaltinatu & vicinis terris attulerat emolumentum, dum pontem Albi multorum fluviorum fecundissimo genitori & nutritori imposuit non modò mercibus transportandis utilissimum, sed & ipsâ structuræ formâ ornatisimum, quem ex ultima Bellonæ crudelitate igni concrematum Mercurioq; subtractum nemo non desiderat hodie. Nec hæc maxima laudum hujus Principis materies, IPSA hæc, in quibus jam Verba fundo, MUSARUM HABITACULA, ipsimet hi GYMNASII hujus illustris parietes Nomen ipsius ipsi orbi æternum decantandum propinant. Hic enim Princeps egregiè munificus Illustris hujus Musarum sedis fundator extitit pientissimus. Hic Nutritius ejusdem, dum vita manebat, semper erat benignissimus. DEUS remunerator horum omnium esto largissimus æternæq; vitæ immarcessibili coronâ ex gratia tantam in universam patriam bonitatem compenset! Sed jam venit dulcissimus olim Celsissimi nostri Principis illustrissimus pater, RUDOLPHUS, Princeps Anhaltinus, Comes Ascaniæ, Dominus Servedæ & Bernburgi, Princeps me hercule! summi nominis: in quo & corporis dotes, & lingua disertâ, & memoria promptâ, & judicium acre,

&



& consilia expedita, & pietas sincera, & candor insignis, & prudentia profunda, & magnanimitas invicta, & temperantia exquisita, & animus in utraque fortuna æquabilis, & liberalitas circumspecta, & clementia singularis, & justitia innoxia, & arcanorum naturæ, rerum sacrarum ac civilium exquisita scientia, aliæque plures Virtutes, Principe tanto dignissima, tanquam in quodam perfectionis centro conspirarunt. Enumeravi Vobis, Celsissimi Principes, quanto valui compendio, paternos progenitores optimi Parentis vestri. Hi fuere beatissimi vestri DECITAVUS, NONITAVUS, OCTITAVUS, SEPTITAVUS, SEXTITAVUS, QUINTITAVUS, QUADRITAVUS, TRITAVUS, ATAVUS, ABAVUS, PROAVUS, AVUS, PARENS ipse, omnes Principes gloriâ virtutum, omnis generis nemini secundi. Hi ex conjugibus suis illustrissimis, SOPHIA, Ottonis Comitis in Reinek filia, JUTTA, CANUTI Regis Daniæ, simulq; tunc Slesvvicensis Ducis ac Obetritorum Reguli, MECHTILDE, Ottonis parvi cognomento, Ducis Brunsvvicensis & Luneburgensis filia, CATHARINA Comitissa à Gleichen / ELISABETHA, CONradi, Marchionis Brandenburgici & Electoris filia, AGNETE, Wertislavi Principis Rugiensis sobole, ELISABETHA, Henrici Comitis Hennebergensis sorore, JUTTA, GEBhardi Comitis Querfordensis filia, ANNA, Comitissa Rupinensi & Lindaviensi, MARGARETA, filia Henrici Ducis in Silesia Munsterbergensis, iterum MARGARETA, Joachimi primi, Marchionis Brandenburgici & Electoris filia, GEORGIÛq; ducis Pomeraniæ relicta vidua, ELEONORA, Christophori Ducis Wirtembergici filia, MAGDALENA, à Johanne decimo sexto Comite Oldenburgensi & Delmenhorstano progenita. Hi, inquam, produxere majores vestros paternos, Parentem vestrum dulcissimum, Vobis, nobis, omnibus desideratissimum. Nunc maternæ familiæ majores, Heroes toga sagoq; in Romano Imperio celebratissimos, quorumq; res eximiè præstitas, historiarum monumenta cum illorum æterno honore loqvuntur, in hoc teatro producere deberem. Verùm erubescens tolerantia vestrâ longius abuti, summa saltem rerum carpam vestigia. Quis est, qui ignoret Illustrissimam & antiquissimam domum OLDENBURGICAM, cui originem debent suam innumeri ferè & Heroes incomparabiles, IMPERATORES, REGES, ELECTORES, DUCES, PRINCIPES, COMITES ex Illustrissima illa WITEKINDI Saxonum Magni Ducis propagine descendentes? Habemus heic, ut reliquos taceam, (dies enim me deficeret, si omnes hujus domus Heroes memorare vellem) DITERICUM FORTUNATUM, Comitem Oldenburgi & Delmenhorstæ, beatissimi Principis nostri Tritavum cum Coniuge HEDWIGA, GERHARDI Ducis Schlesvvicensis & Comitis Holfatiæ sorore. Parens hic Comes fuit CHRISTIANI DIVITIS, electi REGIS DANIE. Quantâ cum laude quantaq; cum felicitate hic Comes ditionibus suis præfuerit, annales testantur uno ore omnes. Comes pietati deditissimus, Scholis & Ecclesiis addictissimus, summorum in Europa Regum ac Principum scaturigo fœcundissima. Habemus GERHARDUM BELLICOSUM, beatissimi nostri Principis ATAVUM cum ADELHEIDA, Nicolai Comitis Teckelenburgensis filia. Hunc Comitem si Germaniæ Achillem vocaverimus, sanè justo ipsum titulo honoraverimus, adeò bellis implicitus fuit, quæ, modò annuente, modò renuente fortuna, gessit cum vicinis variis. Habemus JOHANNEM  
DECI-

DECIMUM QUARTUM, Comitem Oldenburgi & Delmenhorstæ, beatissimi nostri Principis ABAVUM, cum ANNA, Georgii Senioris Principis Anhaltini filia. Hunc Comitem (verba CHYTRÆI allego) heroica corporis & animi magnitudine & proceritate insignem, & in gubernatione justum, clementem, moderatum, affabilem & beneficum, omnes subditi amabant, ejusq; industria, virtute & fortitudine patria rursus aliquantulum recreata est. Et, si ullus ex Comitibus Oldenburgicis, hic sanè floridas reddidit suas dynastias, variis terris easdem adauxit, Comes & Dominus incomparabilis, Heros munificentissimus, omni laude major. Habemus ANTONIUM PRIMUM, Comitem Oldenburgi & Delmenhorstæ, beatissimi nostri Principis PROAVUM maternum, cum SOPHIA, MAGNI secundi, Ducis Saxoniae, Angriae & Westphaliae filia. Heroica hujus Comitis facinora, quæ designavit, sera adhuc, si qua futura est, loquetur posteritas, Arcis & Comitatus Delmenhorstani vindicem & recuperato rem ipsum deprædicat felicissimum. Habemus JOHANNEM DECIMUM SEXTUM, Comitem Oldenburgi & Delmenhorstæ, Dynastam in Jever & Kniphausen, Beatissimi Principis nostri AVUM MATERNUM, cum ELISABETHA, Guntheri Comitis Schvvartzburgensis filia; Sub hujus Comitis regimine sapientissimo ac prudentissimo multa accessere domui Oldenburgicæ, aucta illa fuit Dynastia Jeverensi. Laudes hujus Comitis pagina non capit, eloquium non effert, paucis dico, Comes fuit DEO addictissimus, Subditorum suorum salutis procurandæ, totiq; antiquissimæ & celebratissimæ profapia Oldenburgicæ maximam comparandi gloriam studiosissimus, laudatissimæ memoriæ Heros. Ex hisce GENETRICEM suam habuit beatissimus noster Princeps, Illustrissimam Principem MAGDALENAM, Principem Anhaltinam, Comitissam Ascaniæ, Oldenburgi & Delmenhorstæ, Dominam Servedæ & Bernburgi, in Jever & Kniphausen / fœminei sexus singulare ornamentum, Principem rarissimis animi dotibus commendatissimam, Principem, cujus æternaturæ Virtutes æternæ admirationis cultum in orbe promerentur. E tantis tamq; antiquarum atque illustrissimarum profapiarum Heroibus, Anno millesimo sexcentesimo VIGESIMO PRIMO, pridie Annuntiationis Mariæ, die vigesimo sc. quarto Martii, beatissimus noster Princeps JOHANNES commune hoc mortalium auxit consortium. Quanto exceptus hic Princeps infans ab Illustrissimis suis Parentibus fuerit gaudio, vos ipsi judicate, Auditores optimi. Illustrissimus beatissimæ memoriæ PARENS jam ad secunda Nuptiarum vota transierat, nondum tamen prolem masculam ex se videbat, cui fasces imperii ex naturæ ordine cederent. Tristis rerum Servedanarum facies, nec nisi aspera minans fata, quæ mitiorem tamen præbebant speciem Serenissimi nostri Principis nativitate auspiciatissimâ, quæ si à tota gente Anhaltina lætis excepta animis, quid mirum? Sic statim cælesti illi Filiorum DEI ac fidelissimorum Servatoris Christi Jesu membrorum (quorum gloriosissima nomina cælo inscripta sunt,) cætui, per lavacrum sacrae regenerationis, in quo juxta aurei oris Episcopum Rex, Sacerdos & Propheta efficitur, cooptari beatissimum nostrum Principem curarunt Illustrissimi Parentes, omnemq; postmodum lapidem moverunt, ut illustri ortui illustris quoque accederet educatio, non immemores istius, quod Chryostomus olim dixit: VIS FILIUM ESSE OBEDIENTEM? AB INITIO EUM EDUCA IN DISCIPLINA ET ADMONITIONE DOMI-

DOMINI. Nec etenim satis esse optimè putârunt Illustrissimi Paren-  
tes, posse de se, ac maximè de domo Anhaltina gloriari, quæ præter tan-  
tam seculorum, quibus claruit, profunditatem, ab ALBERTI URSI  
tempore usque ad JOHANNEM Sextum, decimum tertium & ultimum  
hujus lineæ Marchionem ac Electorem Brandenburgicum, res Marchiæ  
Brandenburgensis, & Electoratus dignitatem continuâ successione, ac  
sempiternâ gloriâ possedit. Sed parentes illi pro suâ innata modestiâ  
& pietate, illorum detestati fuerunt arrogantiam, qui solo sanguinis fun-  
damento nituntur & lubricis familiarum gradibus ad famæ contendunt  
fastigium; Propriis potiùs virtutibus, & ASCANIOS ANHALTINOS q̄;  
URSOS, SCALAS SUPRA PORTAM ERECTAS, ASCENDEN-  
TES, ATQUE OLDENBURGICOS LEONES, CRUCES, TRABES,  
FULGENTISSIMA paternæ & maternæ domus Virtutum insignia  
longè fulgentiora Filium reddere maluerunt. Hæc erant piissima piissi-  
morum parentum vota. Sed vix hujus educationis ad magna tenden-  
tis fundamenta jacere potuit ILLUSTRISSIMUS PARENS,  
vix indolis suæ nativæ bonitatem tenerrimæ adhuc ætatis Princeps osten-  
dere suis poterat, ecce eripitur terris hisce optimus parens, evocatur,  
avocatur & secundum animam in cælestes sedes translocatur, Illustris-  
simo Filio relicto orphano, illustrissimâ Matre relicta viduâ, miseris  
subditis belli ardore circumfusis, Patriæ suæ Patre destitutis. SORS  
DURA, irati Numinis indicina, molesta omnibus, quanquam PRIN-  
CIPIS NOSTRI ætatula nondum caperet hæc summa, in quæ conjectus erat  
hic Anhaltinatus districtus, discrimina. Quid verò hic Serenissima  
MATER? Cordolio illa erat macerata, tristem gerebat vultum, tristis  
totius regionis erat facies. Mars minabatur interitum, hinc longio-  
res in Aula moras necere tutum non erat, & prohibebat id ipsum pro-  
vida, quâ noctes diesque ergâ Gnatum suum tenebatur, cura. Hæc  
apud ipsam excubabat plusquam millies. Hinc Horizonte Anhaltino  
secedere. Hinc tutiorem locum eligere consultum erat, qui erat vici-  
na Electoralis WITTEBERGA, quæ securioribus ulnis ample-  
cti poterat utrumque, quæque non tam facilè militis discursan-  
tis & ferocientis permittebat introitum. Hic verò beatissimus NO-  
STER PRINCEPS non tantum se minimè degenerem à majoribus ac paren-  
tibus ostendit, verum etiam illorum luci, quâ Europam aliasque Or-  
bis partes illustrârunt, suam lucem, suam virtutem adjicere incepit.  
Quocirca, quamprimùm diligenti & fidissima Matris educatione, quæ  
sibi à SACRA CÆSAREA MAJESTATE quàm clementissimè de-  
mandata fuerat, indolisq; propriæ maximâ bonitate, heroicas apprehen-  
dere cepisset virtutes, non in detestanda ignavia, pueritiam, adoles-  
centiam, juventutem accrescentemq; ætatem insumsit, non in licen-  
tia, non luxu aliisque rebus malis, quibus plerunque sese mancipant,  
quos benigniora Fata in sublimi honorum cacumine collocârunt; sed  
in earum Virtutum exercitiis, quæ juvenem stemmatis ortu incly-  
tum insigniter commendant, florentissimum illud juvenilis ætatis  
tempus transegit, ita quoque, ut mox ab omnibus pro quodam  
modestiæ, pietatis, sapientiæ & prudentiæ sacrario æstimaretur.  
Ita sese totum ad virtutis frugem composuerat PRIN-  
CEPS NOSTER. Et hæc demum vera hominis est vita, hæc  
huma-

humanitatis excellentia, quæ homines inclyti generis propinquâ cum DEO cognatione conjungit. Et quid multis? Deprehendebatur PRINCEPS NOSTER, quod ad inveniendum expeditâ celeritate, ad penetrandum singulari acumine, ad deliberandum sapiente consilio, ad reminiscendum tenace memoriâ valeret. Nihil erat tam arduum, quod non contingeret, nihil tam implicatum, quod non evolveret, nihil tam durum, quod non emolliret, nihil tam difficile atque operosum, quod non perficeret. Pretiosissimum sanè naturæ pignus, quale in subsidium tutelamque humanarum rerum vix decies integro seculo progenerat. Accuratissima indolis hujus curatrix & observatrix erat Illustrissima PRINCEPS GENITRIX, hinc educationis officium negligere piaculum ducebat. Hinc ditionum tutore constituto Illustrissimo beatissimæ memoriæ Principe ac Domino, Domino AUGUSTO, Principe Anhaltino, Comite Ascaniæ, Domino Servestæ ac Bernburgi, Principe religiosissimo & ferè virtutibus suis ultra hominum sortem evecto, statim Illustrissimo Domino ANTONIO GVNTHERO, Archi Comiti in Oldenburg & Delmenhorst, Dynastæ in Jever & Sniephausen/ AVUNCULO suo traditus fuit PRINCEPS NOSTER, hujusque ulteriori curæ commissus. Archicomes hic Oldenburgicus, qui paucos ante dies justa sua funebria accepit ab Heredibus, REGIBUS, DUCIBUS, PRINCIPIBUS, COMITIBUS. Vel ex hoc conjicite, Auditores Optimi, summum fulgorem stemmatis Oldenburgici. REGALI SAXONUM ORIGINE Oldenburgici editi sunt, ipsi postremos DANIÆ, NORVVEGIÆ, GOTHIÆ & VANDALIÆ REGES & HOLSATIÆ DUCES edidere. Comes hic fuit & annis & virtutibus venerandus, nec ullum deprædicant Historici Principem, qui majori artificio, majorique solertiâ, semper tamen ingenua, truculentum sitientemque & bona & sanguinem subditorum militem, à comitatibus suis & dynastiis deflectere potuit, quàm hic ipse prudentissimus Comes, unus solusque Atlas, humeris suis qui sustinuit compagem Oldenburgici orbis. Innumeris terræ jugeribus è faucibus maris jugiter ereptis sicq; ab ejusdem inundatione & æstu feliciter vindicatis æternam sibi vindicavit laudem æternosq; subditorum applausus. Regum Aulis æquiparanda Aula OLDENBURGICA, multorum Principum præferenda, totius Europæ Magnariis frequentata, eorundemque accessibus & recessibus variis & numerum ferè, at non fidem excedentibus, celebratissima. In potentissimorum & Invictissimorum CÆSARUM REGUMq; favorem & gratiam, in Serenissimorum ELECTORUM, DUCUM, & PRINCIPUM amorem, in generosissimorum S. J. R. COMITUM amicitiam penitus sese dederat Illustrissimus Oldenburgicus, hinc negotia regia & palmaria agitabantur. Horum omnium accuratissimus & indagator & observator existebat PRINCEPS NOSTER beatissimus. Ad imperandi etenim munus & dignitates destinaverat ipsum dignitas familiæ ejusdemq; ordo, solus erat & unicus, cui populo tempore suo jura dare legesq; competeat. Natus erat PRINCEPS in honorem sceptri, Rempubl. suam ut hæreditarium juris dignitatisque paternæ patrimonium propugnare olim debebat, hinc non otiosum rerum gerendarum speculatorem, sed solertem, sed diligentem actorem esse decebat, in aula tanti Comitum. Omnium equidem rerum est satietas & modus, maximè cibi ac potionis, cujus ut est vehemens, integra fame

fame desiderium, ita fastidium, expleta naturæ cupiditate, celerrimum. Oculorum quidem animiq; humani libido est infinita; at Naturam paucis contentam obsaturaveris citò. Experiundo unusquisque hoc discit in semet ipso. Cum paulò ante summa hominem tenebat edendi cupiditas, vacuus crepabat venter, lippiebant fauces, os amarum, dentes blennos habebant, intus ventis, ut cum Comico loquar, focula fumabant; nunc ita depulsa est hominibus fames, ita satisfactum ampliter gulæ, ut nihil ex filicatis Regum pateris, aut genialibus Pontificum cœnis; non Afram avem, non Attica bellaria, non Lydorum carycas, non florem Nectaris, aut lac Veneris in ventrem descendere præterea cupiant. Nihilominus improba flagrat in animo discendi cupiditas, crescitq; cum ipsa scientia scientiæ ardor, neque restingui se patitur multa pulcherrimarum rerum cognitione, sed augetur potius ac inflammatur. Alexander M. insanâ dominandi libidine plures sibi mundos dari postulabat, quos signis victricibus peragraret, ultra præfinitas à Natura regiones ac spatia, immensû animi spiritu profectus. Non minore certè PRINCEPS NOSTER sciendi desiderio videbatur exardescere, nullâ etenim doctissimarum scripturum lectione, nulla solertissimarum rerum actione, nulla plurimarum rerum meditatione satiari, non ipsis naturæ terminis definiri potuit. Sic naturâ inexitit menti inclytæ Serenissimi nostri PRINCIPIS insatiabilis quædam scientiæ cupiditas, quæ perficere conditionis suæ dignitatem potuit. Nec defuere, qui hunc sciendi variâque rerum scitu quàm maximè necessariarum futuræque Ditionum gubernationi aptissimarum notitiâ ardorem facilitârunt. Ipsa aderat Illustrissima MATER perpetuò huic illustri educationi invigilans: aderat Illustrissimus HEROS OLDENBURGICUS parentis vices plusquam paternâ sollicitudine gerens, aderat generosus Vir, Dominus WOLFFGANGUS CONRADUS à Thumshirn/ hæreditarius in Ponitz/ Nobitz & Pohlhoff/ hodie Serenissimi Saxonæ Ducis FRIDERICI WILHELMI, Consiliarius intimus ac Cancellarius, quî impensâ curâ studia PRINCIPIS NOSTRI quàm solertissimè direxit, aderat vir plurimum Reverendus, Dominus CHRISTOPHORUS SCHLEGELIUS, jam S.S. Theologiæ Doctor ac Pastor, nec non Superintendens Grimmensis, qui, quicquid ad pietatem, & religionem pertinebat, indefessis studiis & conatibus PRINCIPIS instillavit. Ita PRINCIPIS NOSTRI præclarissima indoles tot manu ductoribus solertissimis in tantum virtutum heroicarum flexa fuit exercitium, ut PRINCEPS ab omnibus æstimeretur magnanimus, pius, totius Aulæ delictum. Tanta, A. O. educationis bonæ & accuratæ vis est, ut insitos atque innatos ad virtutem impetus promovere possit. Illa, ingenerata nativæ originis semina singulari studio atque industriâ evocat, producit, ac velut conveniente nutrita & rigata succo, beneficoque calore fota, vegetat ac maturat. Illa fervidiores præstantium animorum impetus arte Magistrâ delinitos intra rationis metam contrahit, & ferocientem Bucephalum molli tractatum manu, ne aut exasperetur feritas, aut supprimatur generositas, prudenter moderatur. Sic admodum αἰετῆρος sensit Stagirita, cum in EDUCATIONE omnem esse positam virtutis custodiam, & incrementum diceret, quæ pueritiæ teneritudinem, udæ instar argillæ, aut gyphi in omnes morum species effingat.

Et quis à verni æris intemperie divitem frugum exspectet Autumnum, à protrita semente copiosam messem, à fragili & ruinoso fundamento durabilem structuram? Non magis frugalem speres senectam, si ille flos ætatis neglectus abjectusq; in turpi desidiæ situ contabuerit. Quibus artibus imbuta semel fuerit juvenus, eas in extremum vitæ tempus proferet, mansuro per omnem ætatem Virtutum viti orumq; habitu, quem in rudi pueritia Educatoris industria efformavit. Maximâ igitur laude deveniendi veniunt ii, qui in PRINCIPIS nostri beatissimi juventute rectè formanda operam suam collocârunt indefides. Nec mirum fuit, quòd majorennis factus PRINCEPS noster eo polluerit ingenio ingeniiq; robore, quo pollere convenit ei, quem nativitas destinavit arti imperatoriæ, ut premere, & laxas norit dare cautus habenas. Hic verò dum terris suis restitutus ex Illustrissimi Tutoris manu fasces imperii accepit PRINCEPS noster beatissimus, proh DEum immortalem! quanta promiserunt subditis regni hujus primordia? Comperiuntur sæpius subditi, quòd in magnâ potestatis nullis obnoxia suffragiis, amplitudine, sæpè elatus suæ Majestatis conscientia Princeps insolentiùs illa abutatur, duriora in plebem imperia exerceat, omnia ad libidinem suam exigat, sapientum monelas ac consilia temnat, cupiditatibus liberiùs indulgeat, ut in populum nihil detrectantem, ita in leges & jura datum sibi imperium censeat. Efferre solet Principum animos potestatis magnitudo, neque facilè quisquam rationi obsequitur, qui alto positus loco summum in suos imperium tenet, & Rempubl. ex suo nutu gubernat. Non ita animatus fuit PRINCEPS NOSTER, & injuria fit illustri animæ manibusq; pietissimis, si tam insulsum de ipsis ferre quis audeat judicium. Meras PRINCEPS noster de se spirabat virtutes, quibus lassâ & depauperata bello patria redintegraretur exhaustasque vires lata recuperaret. Mera animum PRINCIPIS NOSTRI possederat vigilantissima magnanimitas, quâ quicquid contentionum, quicquid adversitatum sese obtulerat, plusquam heroicè superare poterat. Hoc robore sese sustentabat. Scilicet: sublimis erectusque indolis generosæ spiritus nihil abjectum, nihil unquam humile cogitat. Nihil nisi magnum suaque Virtute dignum appetit, popularis auræ vaniq; ex vulgo rumusculi contemtor. Eadem se firmitate adversus superba malevolentium fastidia, & invidorum malignos susurrus intendit; in virtutis pretio & rectitudinis conscientia sibi sufficiens. Incorruptus, liber, invictus agit atque habet omnia, non habetur. Ita sese quoque gessit PRINCEPS NOSTER. Sicuti lucidus ille in cælo Sol, etsi insinuet sese in terræ radios, à suo tamen domicilio non excedit: ita PRINCEPS NOSTER beatissimus curis negotiisq; humanis insertus, in sua perpetuò statione sibi semper similis conformisq; perstitit. Non vicit eum impotens sui libido, non infregit iræ sævientis impetus, non dejecit blandi amoris illecebra. Sic ipsa rerum Domina Fortuna nullam in ipsum potestatem habuit, neque efferentem se prosperis, neq; dejicientem adversis. Et heic demum Virtutibus suis Principe dignis inclarescere cæpit PRINCEPS NOSTER, quas si cursoriè tantum ac leniter attigero, non succensebitis mihi, A. O. quomodo enim ea, quorum plenus fuit PRINCEPS NOSTER possessor, dignè satis dabitur eloqui? Quid dicam de PIETATE, quam cum sanguine in ipsum transmiserunt Principes Majores. Deditissimus sanè illi fuit. Vos loquimini, qui PRINCIPI vestro quàm proximè fuistis à latere. Nonnè quàm optimè institutus instructusque cognitione Numinis, omnem in eo colendo curam atque indu-

striam

Striam collocavit? Nonne multam rationem, actionem, cogitationem, in commemorandis beneficiis, in prædicanda virtute, in celebranda Dei laude contulit? Nullum sine mediatione divinorum operum tempus prætermisit. Nullam in propaganda DEI gloriâ occasionem neglexit. Tantâ obstrictus fuit Religione, ut non spiraverit penè sapiùs quàm de DEO cogitaverit. Non ita cervus vitreos fluentium aquarum desiderat latices, non excubitor nocturnus surgentem diligentius observat diem, quam PRINCEPS NOSTER fontem bonorum omnium, authorem suæ salutis, Rectorem omnium rerum, datorem omnium bonorum Deum. Vos testes appello, qui idem templum frequentatis, quoties PRINCEPEM vestrum ædes sacra habuit, quoties non habuit? Nec nimbosissima tempestas hunc ardorem ipsi eripere valuit. Sontica sanè causa, non alia ipsum à domo DEI arcuit, si ipsum desiderâstis. Quanta pietatis flamma in pectore ipsius crevit, non sedata priùs, quàm aliquam à tam præstantis honestatis gloriâ similitudinem duxisset? Sic Patriarchæ JACOBI, sic GEDEONIS, sic ASÆ, JEHU, JOSIÆ, EZECHIÆ, CONSTANTINI M. VALENTINIANI secundi, JUSTINIANI SECUNDI, THEODOSII, CAROLI M. & nostra patrumq; memoriâ religiosissimorum per Europam PRINCIPUM ipsorumq; ANHALTINORUM & OLDENBURGICORUM Zelus pro gloria DEI æmulatus PRINCEPS pietatis laude celebratissimus. O religiosissime PRINCEPS, cujus omnis actio, ratio, vitæ institutum nihil aliud fuit, quàm constans ac perpetua divinæ laudis prædicatio, qui omni labore studioq; in eam semper cogitationem incubuisti, ut cælesti Numini suus in terris honor dignitasq; constaret, felicissime. Hæres DEI, descripte in manibus Dei, dilecte DEO, selecte è mundo, electe ante constitutionem mundi, edocte à S. Spiritu, te quis unquam poterit prædicari beator, qui ut omnem in colendo Numine curam atque industriam collocâsti, ita non minùs impensè te ab ipso amari firmiter credidisti? Sed & JUSTITIÆ gloriâ insignis extitit PRINCEPS NOSTER. Nihil illi prius fuit aut antiquius, quàm suum cuique tribuere.

INJUSTUS (enim) ut rectè censuit EURIPIDES, JOVEM SI PATREM HABEAT, IGNOBILIS CENSETUR, ita ad Augustum Historicorum Princeps Livius: OPORTET TE NIHIL FACERE PER INJURIAM, SED NEC OMNINÒ FACERE VIDERI: NAM PRIVATIS QUIDEM HOMINIBUS SATIS EST, NIHIL DELINQUERE, PRINCIPIBUS NE QUIDEM SUSPECTIS ESSE LICET. Nihil item charius extitit, quàm omnem injuriæ aut perfidiæ infamiam declarare. Odio ipsi fuerunt turpes nocendi per vim fraudemve artes. Religio fuit, vultu benevolentiam fingere, amicitias ex usu magis quàm ex æquo æstimare, linguam, manum, fidem quæstui habere, nequitiam supercilio, scelera parietibus tegere. Extinxit latrocinia, repressit cædes, vindicavit illatam supplicibus injuriam, potentes cum tenuioribus pari jure retinuit. Vos iterum, Viri magni, testes appello. Dicere nonne potestis lapsam de cælo JUSTITIAM in PRINCIPIS NOSTRI animo templum atque domicilium fixisse, ut sempiternam tanti Herois summæ nobilitatis gloriam impertiret? Nec minùs CLEMENTIÆ radios de sese semper spargebat PRINCEPS NOSTER. Nunquam à PRINCIPIS NOSTRO audita fuit vox illa crudelis apud Livium: I LICTOR, LIGA AD PALUM, MANUS CONSTRINGITO, CAPUT OBNUBITO,

Et quis à verni æris intemperie divitem frugum expectet Autumnum, à protrita semente copiosam messem, à fragili & ruinoso fundamento durabilem structuram? Non magis frugalem speres senectam, si ille flos ætatis neglectus abjectusq; in turpi desidiæ situ contabuerit. Quibus artibus imbuta semel fuerit juvenus, eas in extremum vitæ tempus proferet, mansuro per omnem ætatem Virtutum viti orumq; habitu, quem in rudè pueritia Educatoris industria efformavit. Maximâ igitur laude devenerandi veniunt ii, qui in PRINCIPIS nostri beatissimi juventute rectè formanda operam suam collocârunt indefides. Nec mirum fuit, quòd majorennis factus PRINCEPS noster eo polluerit ingenio ingeniiq; robore, quo pollere convenit ei, quem nativitas destinavit arti imperatoriæ, ut premere, & laxas norit dare cautus habenas. Hic verò dum terris suis restitutus ex Illustrissimi Tutoris manu fasces imperij accepit PRINCEPS noster beatissimus, proh DEum immortalem! quanta promiserunt subditis regni hujus primordia? Comperiuntur sæpius subditi, quòd in magnâ potestatis nullis obnoxia suffragiis, amplitudine, sæpè elatus suæ Majestatis conscientia Princeps insolentiùs illa abutatur, duriora in plebem imperia exerceat, omnia ad libidinem suam exigat, sapientum monelas ac consilia temnat, cupiditatibus liberiùs indulgeat, ut in populum nihil detrectantem, ita in leges & jura datum sibi imperium censeat. Efferre solet Principum animos potestatis magnitudo, neque facilè quisquam rationi obsequitur, qui alto positus loco summum in suos imperium tenet, & Rempubl. ex suo nutu gubernat. Non ita animatus fuit PRINCEPS NOSTER, & injuria fit illustri animæ manibusq; pientissimis, si tam insulsum de ipsis ferre quis audeat judicium. Meras PRINCEPS noster de se spirabat virtutes, quibus lassâ & depauperata bello patria redintegraretur exhaustasque vires læta recuperaret. Mera animum PRINCIPIS NOSTRI possederat vigilantissima magnanimitas, quâ quicquid contentionum, quicquid adversitatum sese obtulerat, plusquam heroicè superare poterat. Hoc robore sese sustentabat. Scilicet: sublimis erectusque indolis generosæ spiritus nihil abjectum, nihil unquam humile cogitat. Nihil nisi magnum suaque Virtute dignum appetit, popularis auræ vaniq; ex vulgo rumusculi contemtor. Eadem se firmitate adversus superba malevolentium fastidia, & invidorum malignos susurrus intendit; in virtutis pretio & rectitudinis conscientia sibi sufficiens. Incorruptus, liber, invictus agit atque habet omnia, non habetur. Ita sese quoque gessit PRINCEPS NOSTER. Sicuti lucidus ille in cælo Sol, etsi insinuet sese in terræ radios, à suo tamen domicilio non excedit: ita PRINCEPS NOSTER beatissimus curis negotiisq; humanis insertus, in sua perpetuò statione sibi semper similis conformisq; perstitit. Non vicit eum impotens sui libido, non infregit iræ savientis impetus, non dejecit blandi amoris illecebra. Sic ipsa rerum Domina Fortuna nullam in ipsum potestatem habuit, neque efferentem se prosperis, neq; dejicientem adversis. Et heic demum Virtutibus suis Principe dignis inclarescere cæpit PRINCEPS NOSTER, quas si cursoriè tantum ac leniter attigero, non succensebitis mihi, A. O. quomodo enim ea, quorum plenus fuit PRINCEPS NOSTER possessor, dignè satis dabitur eloqui? Quid dicam de PIETATE, quam cum sanguine in ipsum transmiserunt Principes Majores. Deditissimus sanè illi fuit. Vos loquimini, qui PRINCIPI vestro quàm proximè fuistis à latere. Nonnè quàm optimè institutus instructusque cognitione Numinis, omnem in eo colendo curam atque indu-

striam



striam collocavit? Nonnè multam rationem, actionem, cogitationem, in commemorandis beneficiis, in prædicanda virtute, in celebranda Dei laude contulit? Nullum sine mediatione divinorum operum tempus prætermisit. Nullam in propaganda DE I gloriâ occasionem neglexit. Tantâ obstrictus fuit Religione, ut non spiraverit penè sapiùs quàm de DEO cogitaverit. Non ita cervus vitreos fluentium aquarum desiderat latices, non excubitor nocturnus surgentem diligentius observat diem, quàm PRINCEPS NOSTER fontem bonorum omnium, authorem suæ salutis, Rectorem omnium rerum, datorem omnium bonorum Deum. Vos testes appello, qui idem templum frequentatis, quoties PRINCEPEM vestrum ædes sacra habuit, quoties non habuit? Nec nimbosissima tempestas hunc ardorem ipsi eripere valuit. Sontica sanè causa, non alia ipsum à domo DE I arcuit, si ipsum desiderâstis. Quanta pietatis flamma in pectore ipsius crevit, non sedata priùs, quàm aliquam à tam præstantis honestatis gloriâ similitudinem duxisset? Sic Patriarchæ JACOBI, sic GEDEONIS, sic ASÆ, JEHU, JOSIÆ, EZECHIÆ, CONSTANTINI M. VALENTINIANI secundi, JUSTINIANI SECUNDI, THEODOSII, CAROLI M. & nostra patrumq; memoriâ religiosissimorum per Europam PRINCIPUM ipsorumq; ANHALTINORUM & OLDENBURGICORUM Zelus pro gloria DE I æmulatus PRINCEPS pietatis laude celebratissimus. O religiosissime PRINCEPS, cujus omnis actio, ratio, vitæ institutum nihil aliud fuit, quàm constans ac perpetua divinæ laudis prædicatio, qui omni labore studioq; in eam semper cogitationem incubuisti, ut cælesti Numini suus in terris honor dignitasq; constaret, felicissime Hæres DE I, descripte in manibus Dei, dilecte DEO, selecte è mundo, electe ante constitutionem mundi, edocte à S. Spiritu, te quis unquam poterit prædicari beatior, qui ut omnem in colendo Numine curam atque industriam collocâsti, ita non minùs impensè te ab ipso amari firmiter credidisti? Sed & JUSTITIÆ gloriâ insignis extitit PRINCEPS NOSTER. Nihil illi prius fuit aut antiquius, quàm suum cuique tribuere.

INJUSTUS (enim) ut rectè censuit EURIPIDES, JOVEM SI PATREM HABEAT, IGNOBILIS CENSETUR, ita ad Augustum Historicorum Princeps Livius: OPORTET TE NIHIL FACERE PER INJURIAM, SED NEC OMNINÒ FACERE VIDERI NAM PRIVATIS QUIDEM HOMINIBUS SATIS EST, NIHIL DELINQUERE, PRINCIPIBUS NE QUIDEM SUSPECTIS ESSE LICET. Nihil item charius extitit, quàm omnem injuriæ aut perfidiæ infamiam declarare. Odio ipsi fuerunt turpes nocendi per vim fraudemve artes. Religio fuit, vultu benevolentiam fingere, amicitias ex usu magis quàm ex æquo æstimare, linguam, manum, fidem quæstui habere, nequitiam supercilio, scelera parietibus tegere. Extinxit latrocinia, repressit cædes, vindicavit illatam supplicibus injuriam, potentes cum tenuioribus pari jure retinuit. Vos iterum, Viri magni, testes appello. Dicere nonnè potestis lapsam de cælo JUSTITIAM in PRINCIPIS NOSTRI animo templum atque domicilium fixisse, ut sempiternam tanti Herois summæ nobilitatis gloriam impertiret? Nec minùs CLEMENTIÆ radios de sese semper spargebat PRINCEPS NOSTER. Nunquam à PRINCIPENOSTRO audita fuit vox illa crudelis apud Livium: I LICTOR, LIGA AD PALUM, MANUS CONSTRINGITO, CAPUT OBNUBITO,

INFELICI ARBORE RESTE SUSPENDITO, VEL HONORIS  
CAUSÂ CAPUT AMPUTATO. Truculentissimum sanè & Principe verbum  
indignissimum. Nullus Prætor semel ad orcum missos re vocare unquam  
poterit dando restitutionem in integrum, non sibi cum capitibus papa-  
verum, aut cucurbitarum, sed cum hominibus imaginem summi Dei re-  
præsentantibus negotium est. Tanta acies non amorem, sed metum sub-  
ditorum excitat. AMARI QVI CUPIT, LANGUIDÂ REGNET MANU. Caveas  
ut ille tibi sit fidus, qui metuit. Quare

SIT PIGER AD POENAS PRINCEPS, AD PRÆMIA VELOX.

Item: SIT PLACIDUS, FACILIS, PARENS VENIÆq; PARATUS  
ET QVI FULMINEO SÆPE SINE IGNE TONAT. (ILLI  
QVI CUM TRISTE ALIQVID STATUIT, FIT TRISTIS, ET  
CUIQUE FERRE POENAM SUMERE POENA SUA EST.

Talem sese gessisse PRINCEPEM NOSTRUM beatissimum, si quis ne-  
get, nã quàm gravissimã ipsum afficit injuriã detestandaq; ipsius piissimos  
Manes conspurcat calumnia. Quoties, A. O. responsa prudentum Aca-  
demica durius quid & asperius voluerunt, quod benignissima PRINCIPIS  
NOSTRI CLEMENTIA mitiùs exercuit? Vos ipsi Themidos sacra Antistites  
ipsum vestrum interponite iudicium, me à vero non abluere ingenuè fa-  
tebimini. Quid dicam de PRINCIPIS NOSTRI summa, quã excellit, HUMA-  
NITATE? Ergà summã, mediã, imã conditionis semper æq; humanus fu-  
it homines. Seriò putavit PRINCEPS NOSTER, cum M. TULLIO, Ho-  
mines ad DEOS nullã re propiùs accedere, quàm salutem hominibus  
dando; nihil è contrario esse tam deforme, quàm ad summum Imperium,  
acerbitatem naturæ adjungere. Præcessores habuit & in hac Virtute  
PRINCEPS MAJORES suos illustrissimos. Et hodiernum de Anhaltinis  
Principibus omnibus absque palpo dicere licet, quòd sicut in omnibus  
virtutibus, ita & in hac laudes suas semper defenderint. SUPERBIÆ por-  
rò omnis osor exitit acerrimus PRINCEPS NOSTER, & contra eandem  
animum suum obfirmavit sedulus. Et sanè

SEQUITUR SUPERBOS ULTOR à TERGO DEUS. Sancta  
quoque est sententia Oratoris celeberrimi Demosthenis: (RITIS.  
MORTALES CUM SITIS, NE SUPRA DEOS VOS EREXE-

Hæc igitur accuratè pensitans PRINCEPS NOSTER nemi-  
nem despexit, subditos honorantes comiter resalutavit. Sciebat pruden-  
tissimus PRINCEPS, quòd MODESTIÆ ET HUMILITATIS con-  
temptus summam creare soleat Principibus invidiam, sic Julius Cæsar præ-  
cipuam & inexpiabilem invidiam sibi movit, quòd adeuntes se cum ho-  
nificentissimis decretis universos Patres conscriptos sedens pro æde  
Veneris genetricis excepit. Prudentiorem in hac Virtute se præbuit  
Augustus, qui Patres salutavit sedentes & nominatim singulos, nullo sub-  
monente, iterumq; discedens, sedentibus singulis valedixit. Non mi-  
nus Tiberius, qui etiam consulibus assurrexit eisq; viã discessit. Hinc  
porrò non potuit aliter esse, quin ipse humilitatis cultor & suos voluerit  
esse humiles inclytus PRINCEPS NOSTER. Hinc VANILO-  
QUENTIÆ STULTÆq; GLORIATIONIS insulsæq; jactantiæ ho-  
stis erat infensissimus. Non curabat illos, qui splendido luxuriæ appa-  
ratu in aula spectabiles sese reddere conabantur. Illam aulicæ magnifi-  
centiæ speciem & adornatam omni superbiæ cultu pompam, plenam mo-  
lestiarum, plenam miserarium, plenam simulationum putabat. SODO-

MITI-

MITICA POMĀ censebat, quæ sub aureo cortice cineres haberent impuros. Splendida templorum busta, quæ intus fædis olerent cadaveribus. Non bona mens sedet huic jactatorum turbæ. Ubi se semel inseruit in Principis comitatum, hoc unum statim illi studium est, hæc votorum summa, ut opes honoresq; pareat. Quod ut consequatur, quàm se lentâ spe discruciat! quàm curiosè ad occasiones respicit, ne fors incogitans negligatur, quanto conatu propitiæ fortunæ industriam juvat, ut de grava felicitatis nube aureum imbrem depluat. Omne in principis gratia benevolentiaq; situm est emergendi momentum. Hæc est sacra fiducia ara, hoc salutis palladium, cui rem spemq; suam omnem alligant. Assentatoria hæc & jactatoria cohors ad Principis similitudinem mores suos componit. Non polypus corporis, cui adhærescit, similius reddit imaginem, non simia hominum ingeniosius imitatur gesticulationem, quàm illi gnathones thraonesq; jactabundi mores atque indolem Principis sui exprimunt. Propendet ad comestationes Princeps? helluantur Amat venationes? tantùm non in canes obrutescunt. Delectatur armis? prælia atque acies crepant. Et quod largiùs rideas, vultus lineamenta, vocis sonum, corporis affecti nævos felici imitatione assimilant. Tali studio Æthiopes olim Regis sui morbos imitabantur. Et Macedones projectam Alexandri cervicem vocisq; asperitatem & oculorum volubiles motus, ut Aristotelis discipuli Præceptoris sui balbutiem, & Platonis, incurvos illius humeros, exprimebant. Religio est usquam à Domini vultu oculos avertere. Ille si ridet, cahinnantur. Si vultum contrahit, tristem oculis induunt severitatem. Si oscitat, oscitant. Quicquid dixerit, tanquam editum de cælo oraculum æstimant. Proba, improba, apta, inepta, honesta, inhonesta pari laudum encomio commendant. De qua bysfinis & coquinariis, ut dicitur, verbis, fraudandorum suorum Principum vafricie insolenter Comicus sese jactat Parasitus.

QUICQUID DICUNT: LAUDO: ID RURSUM SI NEGANT, LAUDANT ID QUOQVE:

NEGAT QVIS; NEGOTIO: AIT, AJO, POSTREMO IMPERAVI EGOMET MIHI

OMNIA ASSENTARI. IS QUÆSTUS NUNC EST MULTO MIHI UBERRIMUS.

Vaferrimæ bestię, ut ad libidinem Principis, tanquam auribus amphoræ, circumagitis! Quam in certam illos pernitem mercenariis verborum encomiis conjicitis, non Principi addicti, sed illius fortunæ! Qui fascino utuntur, laudando noxam adferunt. Ita vos illum inter verborum blanditias evertitis, & melleo quasi gladiolo jucundè jugulatis. Quàm prudentissimè autem talia evitare potuit PRINCEPS NOSTER glaucomata? non audiendo tales furciferos, sed removendo illos, exesse illos jubendo. Porrò dici vix potest, quàm studiosissimus, sicuti omnis virtutis, ita quoque SOBRIETATIS fuerit beatissimus Princeps noster. Probè callebat OPTIMUS PRINCEPS, quàm verè Hipponensium ille Episcopus dixerit: SOBRIETAS EST MENTIS ET SENSUS, MEMBRORUM OMNIUM CORPORISq; TUTELA, CASTITATIS PUDICITIÆq; MUNIMENTUM, PUDORI PROXIMA, AMICITIÆ PACISq; SERVA, HONESTATIq; SEMPER CONJUNCTA, CRIMINUMq; ET VITIORUM OMNIUM PROFUGA. Non nescius erat idem PRINCEPS NOSTER, quòd lar-

largiora pocula efferatos constituent homines, quòd vinum, mutante palatum splendore, blandè ingrediatur, sed in extremo hausto viperinum cum vulnere venenum diffundat. Videbat oculos vini largiore usu ad alienos amores, cor ad obscænas fabulationes deflecti. In mentem sæpè **PRINCIPI NOSTRO** venit, larga meri pocula graves ruinas facere. Ebrietatem esse matrem flagitiorum, culparum materiem, radicem criminum, originem vitiorum, turbationem capitis, subversionem sensus, tempestatem linguæ, procellam corporis, naufragium castitatis, amisionem temporis, voluntariam insaniam, ignominiosum languorem, turpitudinem morum, dedecus vitæ, honestatis infamiam, animi corruptelam. Sic rectè Pythagoras ebrietatem insanix meditationem dixit, & Chrysofostomus rectæ mentis alienationem ac delirium. Tam fecundam omnium malorum procreatricem ebrietatem esse animadvertit **PRINCEPS NOSTER** beatissimus. O utinam animadvertent idem omnes! parciùs sanè Bacchi lances detergerent. Sed, exhorresco dicens. Lues hæc integras ita sibi mancipavit aulas, ut heroicum quid censeatur, si pridianâ quis comestatione ebrius neque membris neque sensibus se uti posse experitur. Desinamus, A. O. nam sic ipsismet brutis deteriores evadimus. Longè aliud nos **BEATISSIMI** nostri **PRINCIPIS** exemplum doceat. **SOBRIETATI** deditissimus is erat, ficcâ mente ergà Numen divinum devotus, populo dabat jura patriæque coëmebat salutem. Totus erat in eo, ut corporis uteretur servitio, animi imperio. Oculis, auribus, linguæ fidam semper custodiam apponebat, ut in bonæ mentis manerent imperio, sermone gravis, vultu pudicus, aure religiosus. Percipite, A. O. quantam **LINGUÆ** adhibuerit **CAUTIONEM**, provideritq; diligenter, ne evagata longiùs vanâ profusaque garrulitate finem & modum loquendi transiret. Sicuti aquis objiciuntur littora & aggeres, ne se effundant. Ita **PRINCEPS NOSTER** prudentiæ sepimentum opponebat, ne liberiùs diffiueret; de otioso quoque verbo **DEO** reddendam rationem ratus. Infinitam loquacitatem peccati feracem: Turpiculos sermones à turpificati cordis prodire seminario statuebat, sciebat ex oratione æstimari hominem ejusque moribus, ut fictilia vasa tinnitu. Itaque religio erat ridiculis in aliquem facetiis ludere, scurrilibus jocis indulgere, obscænâ dicacitate cavillari, de rebus vanis, alienis, turpibus, sermonem instituere. Omnem verò orationem prudentiæ sale adspergebat. Eandem in gubernandis **OCULIS** curam adhibebat **PRINCEPS NOSTER**, ne vanâ vagaq; volubilitate huc illucque otiosè oberrarent. Nequam vultu nihil pejus esse cum Sapientissimo Salomone censebat. Hinc ita semper luminum aciem moderabatur, ut quæ recta erant, intueretur, ne curva animum à Virtutis scopo deflecterent. Sic quoque **AURES** suas instituerat **PRINCEPS NOSTER**, ne illæ obscænæ vocis susurros haurirent, qui noxium animo vulnus infligerent. Scilicet: Si portarum aditus nullo custode serisvè obstruantur, certum ab hostili violentiâ imminet periculum: Ita perniciosis sermonibus libero ad aures accessu, in animum accipitur peccati malignitas, nullo facilè studio præcavenda. Corruptunt etenim bonos mores colloquia prava. Illiciunt in certam perniciem Sirenum cantus, humano ingenio in bestialem fæditatem efferato. Quid magis opus est, quàm spinis aures sepire, serasq; illis addere, ne malæ linguæ venenum intus hauriant, animo illecebrâ vocis spurcæ depravato? Ita sui in toto corpore moderatorem

torem agebat PRINCEPS NOSTER, ut sonum vocis libraret modestia, in vultu refulgeret verecundia, aures religiosæ bonis tantum sermonibus patefcerent. Præcipua verò ad componendum ANIMI STATUM PRINCIPIS NOSTRI advigilabat industria, ne indomitæ atque effrenatæ cupiditates, excusso rationis gubernaculo, insolentiùs efferrerentur, raptæque præcipiti furoris impetu optimæ mentis statum everterent. Anchora vado impacta fluctuantem in mari sistit navem, ne ventorum & insolentiâ & violentiâ in fyrtes detorqueatur. Sic PRINCEPS NOSTER beatissimus effundentes sese vehementiùs affectus Rationis continebat imperio, ne, dejecto semel jugo, evagati libero cursu in certam perniciem adducerent, acerbis odiis, immoderato amore, infinitis desideriis metu lætitiavè inconsultâ jactatum. Hoc animi PRINCEPS NOSTER erat robore, hac indole virtutis & continentiæ, ut respueret indecoram Viris Principibus VOLUPTATEM, non efferreretur improbâ spe, non dejiceretur degeneris animi metu. Non tam leviter accendebat ipsum IRACUNDIÆ acerbitas, non vexabat misera HONORUM CONTENTIO, non urgebat OPUM PROFUSA CUPIDITAS, non inflabat CÆCA SUE PRÆSTANTIÆ PERSUASIO, nullis VENTRIS DESIDERIIS extabescebat. Et porrò non quærebat anxie IN TERRA THESAUROS, qui furto possent tolli, & vetustate consumi. Neque tam abundantem opum possessionem, quam usum moderatum diligebat. Tali erat animo PRINCEPS NOSTER beatissimus. Sic vultus, sic ora gerebat. PRINCEPS, cujus laus suo merito æternaturæ. PRINCEPS vivum suo ævo Virtutum heroicarum exemplum. PRINCEPS, in quo unusquisque invenit, quod imitari saltem gestiât, missellis etenim nobis longè infra virtutes PRINCIPUM constitutis tam infractos gerere animos vix conceditur. O beatissimam tali PRINCIPLE Rempublicam! O felicissimos tali Patriæ Patre subditos! Sed O etiam miserrimam tali PRINCIPLE orbatam Rempublicam! O infelicissimos subditos, quæis tantus ereptus PRINCEPS, quæis mors dira abstulit PATREM PATRIÆ! Sed nec felicitate sua destitutæ fuerunt PRINCIPIS NOSTRI virtutes, quas jam deprædicavimus. Præterquam etenim, quòd pacatam tranquillamque reddiderant ipsi Rempublicam ditionesque optatissimo PATRE & protectore gaudentes, OECONOMICUM insuper beavère statum felicissimo accedente conjugio omni benedictione divinâ ditissimo, ditissimo concordia summâ, ditissimo liberis heroicis parentibus dignissimis, sobole amantissima. Apud Ethnicos quosdam matrimonium sortitu potiùs quam arbitrato inibat. Factum hoc Lacedæmone, ubi adolescentes cum puellis obscuro conclusi domicilio, quam quisque forte cæpisset, domum sine dote abducebat. Ideoque Lisandrum, quòd repudiatâ Uxore, quam fors illi obtulerat, alteram formosiorẽ duxisset, gravi pœnâ Ephori affecerunt. Obtinuit hoc etiam apud Romanos, Teste Suetonio: apud Græcos quoque Marone indice. Raptu etiam sortilego contracta quandoque sunt matrimonia, ductâ domũ duxore, quã in promiscua multitudine casus primam offerret. Ita Benjaminitæ ab exitiali clade superstites raptas Gabeonitarum virgines, ut quamque fors in manum dabat, sibi desponsârunt. Ita Romana pubes Sabinarum filias usu conjugali suas fecit. Ethnicorum potissimum mores hi fuere inter Christianos non tolerati, multò minùs inter Prin-

Principes, quibus diviniore sedet mens, quibusque honorabilius conjugium est. Nec placuit PRINCIPIS NOSTRO talis antiquorum SORTITIO, talis RAPTUS. A Domino expectanda thalami confors, collationis, societatis, periculorum, operum consortium. Hujus igitur benignissimam ope, hujus gratiam presentissimam talem sibi legebat, qualem legisse nunquam penituit, sociam. Serenissima hæc erat Celsissimaque Principissa ac Domina, DOMINA SOPHIA AUGUSTA, Ducissa Holsatiæ, Stormariæ & Dithmarsæ, Principissa Anhaltina, Comitissa Ascaniæ, Oldenburgi & Delmenhorsti, Domina in Jever & Knipphausen / Magni Holsatiæ Ducis Norvegiæque Hæredis regalis, FRIDERICI, cujus vel ob solam amplissimam & sumtuosissimam Muscoviticam, Tartaricam & Persicam legationem, munificentissimamque Academia Chiloniensis foundationem, laudes & gloriam nullus conticescet annus, etsi vel mille adhuc, aut plusquam mille iniquitatibus inundato orbi DEUS concederet. Princeps & avitæ & propriæ gloriæ inclutus. Hujus FILIA in castissimam & innocentissimam innocui amoris divinitusque dati prædam cessit NOSTRO PRINCIPIS, consciscente illo, qui rerum tenet habenas unicus. Principissa nec formæ elegantia, nec speciosissimis animi dotibus ulli secunda. Cum ipsa PRINCEPS NOSTER nuptialem solennitatem, Anno millesimo sexcentesimo QUADRAGESIMO NONO, die decimo Sexto Decembris, cum provinciæ hujus auspiciatissimo omine, cum solenni subditorum prolubio, in Arce ducali Gottorphiana celebravit. Et nullum dubium est, quin omnes boni & animatus foverint, & firmam spem conceperint, fore, ut hocce conjugium auspiciatissimum & fecundum, & jucundissimum & diuturnum esset. Primum quod concernit, ex voto id ipsum fuit. Suprema quippe DEI clementia, hoc Celsissimum par, SOBOLÈ tam patrimæ quàm matrimæ virtutis æmula exhilaravit, cujus pars non exigua jam fati naturæque concessit; sed in hanc usque diem vitam inter mortales superstitem agunt cum amantissima PRINCIPIS SORORCULA (O quantum matris delictum!) SOPHIA AUGUSTA, Illustrissimi Celsissimi que Principes ac Domini, DOMINUS CAROLUS WILHELMUS, DOMINUS ANTONIUS GUNTHERUS, DOMINUS JOHANNES ADOLPHUS, & DOMINUS JOHANNES LUDOVICUS, Principes Anhaltini, Comites Ascaniæ, Domini Servedæ & Bernburgi, in Jever & Knipphausen, Principes & Domini mei clementissimi. Non permittit clementissima vestra doctissimaque modestia, Illustrissimi PRINCIPES, ut aures præbeatis laudi vestræ propriæ, quanquam debitæ. Quare sileo eas, & hoc solùm voveo. DEUS benignissimus præclarissimarum virtutum vestrarum messem ex herba erigat & quàm felicissimè maturare dignetur! Quod secundum, intimam scilicet horum pectorum conjugialium affectionem, constantemque fidem juramento connubiali devinctam, attinet. Illam vix cogitatione, Verbis autem & oratione nunquam exprimere valeo, Vna erant anima, duo erant corpora, una mens duobus coalita corporibus. Certè hic Sol erat, Venus erat illa individuo comitatu Solem suum profecuta. Quod ad tertium, nempe ad expetitam omnium desiderii, vinculi conjugalis prolixitatem pertinet. Uti sæpè mæroribus, proh dolor! collutulantur gaudia, ita illa suavissima voluptas non erat perpetua, ita illa mellitissima animorum copula

copula non erat perennans, ita illa conjunctissima utriusque in illustrissima prole educanda cura non erat moræ desideratissima. Solos OCTODECIM ANNOS integer utriusque nexus ac indissolutus permanebat. Scilicet: PERENNE SUB POLO NIHIL. NIHIL EST IN HIS REBUS HUMANIS, QUOD DIUTURNITATEM SPONDEAT. Omnia hujus orbis bona, quæ tantopere prædicantur, usu tantum brevissimo, non mancipio à nobis possidentur, imò ostenduntur tantum, & dum placent, transeunt atque in nihilum rediguntur. Omnia ista, quæcunque aspiciamus, & ad quæ in hoc mundo obstupescimus, aut vicibus suis intereunt, aut vicissitudinem suam experiuntur. Ipse Sol, tanti tamque stupendi Numinis umbra, perennis Luminis fons, universorum Syderum Monarcha, sæpius deficit. Ipsa Luna; formosis comitata Syderibus, glomerabilis tenebrarum noctisq; gubernatrix, sæpius sua etiam patitur deliquia, & quasi tabescit. Astra hæc in cælis scintillantia & insigniter lucentes faces, quibus corpus hoc cæleste permaximus distinxit DEUS, & illa labi, cadere, suæque incrementa ac decrementa sentire videntur. Aër, elegans hic subtilissimusque fluor, ventis, motibus, grandine, fluviis, turbine, in ventos tandem, nubescque ac imbres abit. Ipsæ Aquæ, ipsa flumina, ipsi fontes, ipse Oceanus, magna illa Naturæ portio, aut alveum mutant, aut motum variant, modò attolluntur, modò dejiciuntur. Terra tot herbis, tot frugibus, tot stirpibus, tot animalibus grvida, illic labat, isthic tremore ac occulto Spiritu concutitur. Taceo oppida, Republicas, Regna. Omnia ad eandem condemnata sunt mortalitatem. Ubi duodecim illæ sub Tiberio, Asiæ urbes, ubi totidem Campaniæ oppida? Unicus terræ motus in momento ea evertit omnia. Prætereo veteres Ægypti Thebas, centum Cretæ Urbes, Carthaginem, Numantiam, Corinthum, Athenas, Spartas, Trojam, Persepolim. Sileo illas Pyramidum structuras, Ægyptiacæ opulentia monumenta; illos obeliscos antiquitate historiarum celebratos, illa portentosa Regum Sepulchra & Mausolæa, illos Cretensium Lemniorumque Labirinthos, illos Semiramidis Euphrati, Xerxis Isthmo, Cæsaris Rheno, Nervæ Danubio injectos pontes. Horum omnium ne vel unicus apex vel umbra superest. Sic quoque cum HOMINE omnium Creaturarum Principe comparatum. Ad æternitatem ipsi comparandam nil juvat stemmata allegare, nil aureos jactare montes, nil proficit in familia multos Reges & Principes numerare, nil prodest opes, pietatem, famam, virtutem ostentare. Omnia hæc illacrymabile fatum, tristissimo hoc, post mortem, damnat Epithaphio,

VITÆ SUMMA BREVIS; SPEM NOS VETAT  
INCHOARE LONGAM:  
PULVIS ET UMBRA SUMUS.

Quamquam itaque PRINCEPS NOSTER tot corporis, animi fortunæque donis condecoratus fuerit, ad metam tamen nihilominus communem pervenire debuit. Quamquam etiam SANITATE, quæ, Plutarcho teste, maximè divinum suavissimumque est vitæ condimentum, quàm maximè dives fuerit PRINCEPS NOSTER. Non asiduo morborum cursu infestabatur, non pituitæ affluxu madescibat, non suffusà bile æstuabat, non crudi ventriculi flatibus distendebatur, non articulo-  
ro

tro Calculi cruciatu quotidie consumebatur. Infolitus attamen tali ætati prosternebat **PRINCIPEM NOSTRUM** morbus, qui antea totam fermè Aulam occupaverat, sed lethale nihil nisi ipsi **NO-STRO PRINCIPI** attulerat. In hoc solo morbus hic manum respuebat artemq; medicam. Quid verò hoc morbo oneratus **PRINCEPS NOSTER**? Excipiebat eum tanquam Virtutis Gymnasium, tanquam vitiorum macellum, tanquam modestiæ magistrum, tanquam æternitatis monitorem. Ingentis Spiritus esse ducebat & adversam fortunam hanc moderatè pati. Sciebat vitam fortunamque ut hominum, ita & suam, divino Fato deberi, parendum esse prompto animo cælesti jussioni, sciebat cedere omnia piis hominibus in bonum. Hinc generosissimâ planè voce auditis, Si bona suscepimus à **DEO**, cur & mala suscipere abnueremus? Sic animo adversus omnem miseriæ incursum confirmato ærumnosæ vitæ incommoda constanter sustinere paratus erat, nec detrectare impositum à Fato jugum subire. Hinc quoque totum sese involvebat patientiæ involucri ac tegmine, quid supremus rerum Moderator actum cum ipso velit, patienter expectans. Nec suas partes hic neglexit **PLURIMUM REVERENDUS DOMINUS SUPERINTENDENS** ac beatissimo nostro **PRINCIPI** à **SACRIS CONFSSIONIBUS**, sed easdem explevit strenuè, moxque his moxq; illis illustrem animam refecit Sacræ Scripturæ fragrantissimis floribus odoremq; vitæ æternæ spirantibus. Quare flexit sese unicè **PRINCEPS NOSTER** ad maximam illam infinitamq; Mundi mentem, ipsiq; semet suosq; devotissimis gemitibus commendavit, nec confusus ita fuit operæ medicæ, quanquam blandè illa quandoque diuturniorem vitam pollicita, dulcissimo potius nomine **JESU** sese refectum cupiebat **PRINCEPS**, quod cælesti valet donare hæreditate, spreto generosissimæ animæ eo omni, quicquid vel **JEVERANA** ostentabat terra, vel **OLDENBURGICA** jactare poterat hæreditas, ampla quidem lautaque, sed vix umbra boni cælestis, cujus compotem sese mox futurum sciebat & verè sciebat beatissimo **NOSTER PRINCEPS**. Sic factum est, ut die quarto Julii deliquium animi **PRINCIPEM NOSTRUM** incesserit; quod iater planctus Illustrissimæ Conjugis, lachrymasq; Serenissimæ sobolis, ac sonoros gemitus omnium adstantium & accubantium devotissimasque preces ad **DEUM** Sospitorem nostrum unicum fundentium, vitam hanc ipsi terrenam præclufit. Hæc jam cælestis gloriæ primitias degustat **OPTIMUS PRINCEPS**, jam radians vitæ innocètia, inter astra, inter beatissimos illos Spiritus micat. Et sic terris hisce occidit **ILLUSTRISSIMUS GENE-RE, INCOMPARABILIS VIRTUTE PRINCEPS JOHANNES**, occidit & cecidit Corona capitis nostri, occidit proh dolor! & exemplo suo nos docuit, nil sub sole tam stabile reperiri, à quo diuturnitatem nobis possimus polliceri, quod ad fatalem terminum non citò decurrat; docuit omnia oblectamèta mortalium, fortunæ arbitrio subjecta, citò affluere, citùs di labi, & nos miserrimos mortales, qui nisi momentaneum præferimus splendorem, brevi in pulverem primamq; nostri orginem, magnam illam terram, ituros. Ex hujus **PRINCIPIS** tam benigni, tam probi, tam religiosi amissione, omnes meritò ingentem animi sentiunt mœrorem, & non dubito, quin aliqui sint, qui vel suâ Vitâ, Vitam ejus ex amore intimo redimere promptissimi sint, & complanctus nostros addere huic luctui civico & provinciali volumus. Non decet interim ignavo luctu infirmoq; desiderio revocare **PRINCIPEM NOSTRUM**,

STRUM,



STRUM, non decet sese devorandum offerre mæstitiæ ossium exsiccatri-  
trici. Non etenim juxta sui nobilissimam partem è vivis excessit PRIN-  
CEPS, non cum corpore interiit. Abiit tantùm ex hoc mortali loco ad  
suos ASCANIOS, HERCINIOS, ANHALTINOS, OLDENBURGI-  
COS majores. Corporis sui deposuit exuvias. Redibit ad nos magno  
illo die, quo Jura Fatorum vivis & mortuis dabit, quâ animam & cor-  
pus, in antiquam & æternam societatem iterum coire jubebit, Judex il-  
le mundi æquisimus. Et uti jam vivit in CELSISSIMIS SUIS LIBERIS, FILIIS  
scilicet & FILIA, uti jam vivit in animis omnium bonorum (Vix enim obiit  
se videtur, qui in tot animis corporibusque suorum, qui in recordatione  
seculorum, in rerum celebritate vivit.) Sic postmodum in æternum vi-  
vet, in æternum de omni mærore, calamitate, fortuna, imò de ipsa Morte  
triumphabit.

Quod superest, conjunctis dextris ac animis, Optimo maximoque  
omnium Rerum Creatori ac Directori, supplices fiamus, velit etiam hunc  
gravissimum ex hoc casu luctum potentissimè moderari, velit illum in  
nova ac longè majora solatia commutare. Excipiat CELSISSIMAM  
SOPHIAM AUGUSTAM, ex Mariti sui discessu non uno modo  
turbatissimam, Virtutum heroicarum exemplum probatissimum, exci-  
piat CELSISSIMOS FILIOS, CELSISSIMAMQUE FILIOLAM,  
PRINCIPES INCOMPARABILES, summo animi dolore ex optimi  
Parentis abitu fauciatos. Excipiat, inquam, splendidior cælestis conso-  
lationis radius, dissipatoque tandem acerrimo hoc lachrymarum imbre,  
novâ serenitate, novâ suavitate, novâ felicitate, puriores ipsis, ad prolixis-  
simam ætatem, dies affulgeant, & æternâ felicitate Cæli favor eos mactet  
omnes!

Supplices quoque æterno ac Celsissimo Numini simus, ut ILLU-  
STRISSIMOS TUTORES perenni beet regiminis terræ hujus, omni-  
umque, qui Anhaltino vivunt aëre, salute.

Supplices tandem simus Patri nostro Cælesti, ut totam Celsissimam  
ac Vetustissimam ANHALTINAM PROSAPIAM, quæ vetustate  
Majestatis ac splendoris, curam atque diligentiam Historicorum prope-  
modum eludit, quæ ultra tot secula alios ex aliis, Heroës sago togaque glo-  
riofissimos, perpetuâ serie, Romano Imperio aliisque Regnis dedit, florere  
amœnissimè, atque usque in ruituri secula mundi, perennare permittat.  
Faxis hæc omnia, Tu Augustissime omnium Imperiorum Domine, vera  
LUX ET VITA NOSTRA! Fiant hæc omnia à te, à quo solo felicitas nostra, à  
quo solo salus & vita nostra. TRIAS BENEDICTA!

A M E N!





**RECTOR GYMNASII  
ILLUSTRIS SERVESTANI,  
PIETATIS ET BONARUM AR-  
TIUM STUDIOSIS SALUTEM ET  
PROSPERAM VITAM!**



Uocunque oculos nostros mentemq; deflectimus, ad supera, infera, æterna, caduca, animata inanima; expressa in omnibus videmus admirandæ DEI ter **O. M. PROVIDENTIÆ** vestigia. **DEUS** est, qui hæc omnia, tam multa, tam spatiosa, creavit, fecit, creata, facta regit ac conservat. Tu cœca Cyclopi impietas, quid aut Mundo Deum, aut Deo Mundum, mundi; gubernandi arbitrium detrahis, fortunamque ferre ac miscere omnia temerario impetu, arbitraris? Est profectò aliquid supra nos, potens omnium rerum, patens per omnia, quod se spargit per universum, & quicquid est, geriturque, temperat ac moderatur. Fundit æterna illa Mens lucis suæ radios quoquò versum, insertaq;  
per omnes

Terrasq; tractusq; maris.

Per cœlorum sinus, per inferni abyssos, per omnes mundi articulos gubernatrice vi, non præest solùm rebus omnibus, sed interest, imò inest. Luculentissimi horum omnium Testes sunt patientiæ speculum **JOBUS** & Prophetico imbutus Spiritu Rex **DAVID**. Quantopere illi hancce Dei ter. **O. M.** gloriam prædicent, unicuique, qui leviter saltem sacrarum literarum pandectas percurrerit, nunquam non constabit. Impriprimis verò Illustre divinæ præsentia documentum præbent illa **FUTURORUM** indicia, quibus Deo t. **O. M.** destinatos futuri temporis eventus hominibus præsignificare visum. Aliquando per nocturnæ quietis visæ & somniorum imagines impendentium malorum tempestatem prænuntiat, aliquando stupendis supra naturam operibus mortalium animos percellit, & in transversum quasi agit. Sæpè prodigiosis exorbitantis naturæ ostentis communium temporum motus rerumque conversiones præmonentur. Mittimus modos alios, quibus Deus hominibus ex obliquo rerum futurarum commonefacit. Non omine sanè suo caruerunt nupera nostra **CAMPANIFRAGIA**. Eventus id ipsum nos docuit tristissimus. Mortem **SERENISSIMI CELSISSIMIq; PRINCIPIS NOSTRI**, Domini nostri Clementissimi, si præsignificatam, hisce quis dixerit, non omninò à vero abluisse is mihi videbitur. Omina fat infelicia, nec unquam graviora potuissent magisque lethalia præfagire inclytæ Patriæ vulnera, quibus sanandis medelam adhibeat Clementissimus **DEUS ET SUMMUS PATRIÆ NOSTRÆ PATER ACTUTOR POTENTISSIMUS**. Illustre hoc **GYMNASIUM** planctus etiam suos addit huic provinciali luctui, & proinde debiti sui haud immemor devotissimâ veneratione Illustrissimum nostrum beatissimæ memorie

riæ

ria PRINCIPEM ex mandato Illustrissimæ PRINCIPIS TUTRI-  
CIS AC REGENTIS, Dominae nostræ Clementissimæ, prosequi sibi  
proposuit. Fiet id ipsum, Deo benigniter adminiculante, ORATIO-  
NE PARENTALI publicâ, die crastino, horâ seminonâ matutinâ. Vos,  
Studiosi optimi, frequentes adeste, & ultima hæc justa beatissimo PRIN-  
CIPIS NOSTRO, eo, quo decet, gestu & vultu, non inviti concedite, proque  
totius Anhaltinatus perpetuâ incolumitate calidissima ad DEUM uni-  
cum felicitatis Restauratorem & Redintegratorem, vota mecum arden-  
ter facite. P. P. d. 10. mensis Octobris, Anno recuperatæ salutis  
M. DC. LXVII.

**P**RINCIPIS heu quondam! recitata encomia NOSTRI,  
Omni laude tamen major ubique cluet.  
Quæ Vox non profert, animus facundior offert  
Non taciturus, ubi deficit eloquium.  
Suscipe, quæ tremulo dixi præconia Verbo,  
PROLES, quæ tanto es PRINCIPIS digna PATRE,  
Meque clientelâ clemens dignare: JEHOVA  
Vulnera qui fecit, vulnera sanet amans!  
Sic mærore diu pressa Illustrissima TUTRIX  
Lætior incedet, sicque fugata cadet  
Tristitia ex animis generosis PROLIS amatæ  
Afflabitque Aulas gratior aura. Siet!  
Ah! Siet, O benedicte DEUS, quò gratia CHRISTI  
Christicolas SORABOS & beet alma: SIET!

F I N I S.



IN PRINCIPIS...  
CIS ARGENTIS, Dominus noster Clementissimus, pro se  
proprie, Fidei, Deo, deinde, ad hunc, Oratione,  
ne per se, et per alios, die, et nocte, horum, non  
Sicut, omnia, quae, ad, hunc, hunc, hunc, hunc,  
Cui, nostro, sed, quo, decet, gelu, non, non, non,  
totum, ad, hunc, hunc, hunc, hunc, hunc, hunc,  
cum, hunc, hunc, hunc, hunc, hunc, hunc, hunc,  
ter, hunc, hunc, hunc, hunc, hunc, hunc, hunc,  
M. DC. LXXVII.

IN PRINCIPIS...  
Omni, hunc, hunc, hunc, hunc, hunc, hunc, hunc,  
Que, Vox, non, hunc, hunc, hunc, hunc, hunc,  
Non, hunc, hunc, hunc, hunc, hunc, hunc, hunc,  
Sicut, hunc, hunc, hunc, hunc, hunc, hunc, hunc,  
PROLES, hunc, hunc, hunc, hunc, hunc, hunc, hunc,  
Ad, hunc, hunc, hunc, hunc, hunc, hunc, hunc,  
Hunc, hunc, hunc, hunc, hunc, hunc, hunc, hunc,  
Sicut, hunc, hunc, hunc, hunc, hunc, hunc, hunc,  
Tunc, hunc, hunc, hunc, hunc, hunc, hunc, hunc,  
Ab, hunc, hunc, hunc, hunc, hunc, hunc, hunc,  
Christus, hunc, hunc, hunc, hunc, hunc, hunc, hunc,



Xa 4531  
4°

ULB Halle 3  
004 193 61X



56

V077

M. C.





5

Εὐν Θεῶ  
**PANEGYRICUS**  
 Aeternæ & Immorta  
**SERENISSIMI CE**  
 PRINCIPIS AC I  
**DOMINI JOH**  
 PRINCIPIS ANHA  
 MITIS ASCANIÆ,  
 VESTÆ & BERNBURGI,  
 HAUSEN  
**CONSECR**  
 ET  
 MANDATO ILLUSTR  
 Constitutæ ILLUSTRISSIMÆ SUÆ PUBLI  
 Illustri Illustrissimorum ANHALTINAT  
 quod Servestæ est, devotissimè ac subj  
 Anni 1667. reci  
 A  
**LÜDERO Ka**  
 Dicti Gymnasii Rectore  
 Publico.  


---

**SERVEST**  
 Typis JOACHIMI  
 1668.



28

